

NONNULLA
AD POLYPOS UTERI FIBROSOS
PERTINENTIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARUM CAESAREA
DORPATENSIS

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIPISCENDUM

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Carolus Leopoldus Kirchberg,

TILSERNENSIS.

Tartu Riikliku Ülikooli
Raamatukogu

54785

OBSTETRICIUS.

DORPATI LIVONORUM.

TYPIS HENRICI LAAKMANNI.

MDCCLIII.

1853

PRÆMIUM.

Justa et circumscripta explicatione definire, quid sit polypus, etsi perdifficile est, polyporum vocabulo quum diversissimi tumores nominari soleant, quibus nihil commune sit praeter sedem, tamen nostra aetate polyporum uteri nomine ea sola notantur excrescentia, quae sub uteri membrana mucosa orta pediculisque nunc crassioribus, nunc tenuioribus exsurgentia in cavum uteri prominent.

Quodsi libros ab antiquissimis artis medicinae auctoribus conscriptos pervolutamus, certam quidem et dilucidam polyporum descriptionem ante saeculum p. Chr. n. octavum decimum desideramus, polypos notos fuisse, ab aliis aliis nominibus appellatos apparet. Hippocrates ¹⁾ μόχυν breviter quum commemorasset, Aëtius ²⁾ τὴν κέρωσσω, a Philoteno ³⁾ de polyphis uteri facta accu-

1) Lib. II; de morbis etc., XLVIII, 10. Vergl. *Meissner's Frauenzimmerkrankheiten*. Leipzig 1843. I. p. 826. und *Trebbin, ej. diss. inaug.* Herbiopol 1839. 10.

2) Tetrab. med. Lib. IV etc. Vergl. *Meissner's Frauenzimmerkrankheiten*. Leipzig 1843, Bd. I. p. 826.

3) Vergl. *Colombat de Elsère. Behandlung der Frauenkrankheiten*. Leipzig 1841, p. 343.

Imprimatur

haec dissertatio ea conditione, ut, simulac fuerit excusa, quinque ejus exempla tradantur collegio, ad libros explorandos constituto.

Dorpati Liv. d. 28. mens. Jul. a. 1853.

(L. S.)

Dr. Reichert,
ord. med. h. t. Decanus.

D
437584

rator mentio, et quomodo progrediantur, pluribus verbis est expositum. Nomen, quod nunc vulgatum est, polyporum, primi usurparunt Galenus et Paulus Aegineta ¹⁾, narium quum maxime morbum significantes. M. Aurelius, Severinus, Albucasis ²⁾ polypum uteri caudam vaginae nominaverunt, Fabricius ab Aquapendente ³⁾ exerescentiam carnosam; utitur polyporum nomine Moschion ⁴⁾ quoque, quod tantum tumoribus fibrosis, pediculis nixis imponit, quorum tamen nullam habet certam notitiam. Accuratus polypos uteri descripsit Guillemeau ⁵⁾, a quo molae pendentes nominantur. Qui eadem aetate et post eum floruerunt artis medicinae auctores complures, J. Marinello di Formie, Paulus Zachias, Fabricius, Hildanus, Lampzweerde, Stalpart a Wielo, Ambrosius Paraeus alii (ue ⁶⁾) polypos uteri molarum nomine comprehensos describunt; a quorum usu et exemplo recedens Ruysch ⁷⁾ omnes molas poly-

1) *Wutschichowsky*: de polypo uteri fibroso, diss. inaug. Petropoli 1849. p. 8.

2) *Ej. medendi methodus* lib. II. cap. 71. Vergl. *Meissner's* Frauenzimmerkrankhh., Leipzig 1843, I. p. 826.

3) *Wutschichowsky*: de polypo uteri fibroso, diss. inaug. Petropoli 1849.

4) *Ej. de mulierum affectibus*, herausgegeben von *Spach* 1566. Vergl. die Frauenkrankheiten von *Isère*, Leipzig 1841, p. 343.

5) *Ej. Oeuvres de Chirurgie*, Paris 1589. Vergl. *Meissner's* Frauenzimmerkrankheiten, Leipzig 1843, I. p. 826.

6) Vergl. *Meissner's* Frauenzimmerkrankheiten, Leipzig 1843, I. 826.

7) *Ibidem*.

porum generi adscribit. Tulpius pro nomine graeco antiquissimo *μύκης* latina appellatione fungi utitur ¹⁾, francogallica champignon Puzos ²⁾. Super quos omnes maxime excellit, qui superiori saeculo vixit, Levret ³⁾, qui polyporum natura diligentissime ac sagacissime observata et anatomices et diagnosticas et curationis polyporum certa ac firma jacere conatus est fundamenta. Post hunc Schacher, Kaltschmidt, Hierbiniaux, Desault, Bichat, Denmann, Bayle, Roux, Dupuytren, Malgaigne ⁴⁾, Colombat de l'Isère ⁵⁾, Busch ⁶⁾, P. U. Walter ⁷⁾, Meissner ⁸⁾, Lee ⁹⁾, Schuh ¹⁰⁾, H. J. Kilian ¹¹⁾, aliique complures homines doctissimi et de arte medicina optime

1) *Observ. med. Lugdun. Batav.* 1716, lib. III. cap. 33. Vergl. *Meissner's* Frauenzimmerkrankhh., Leipzig 1843, I. p. 826.

2) *Traité des accouchemens*, Paris 1759, 4. p. 267. Vergl. *Meissner's* Frauenzimmerhh., Leipzig 1843, I. p. 826.

3) *Ej. Observ. sur la cure radic. de plusieurs polypes de la matrice* 1749. Vergl. *Frauenkrankhh. von Isère*, Leipzig 1841, p. 343.

4) Vergl. *Colombat de l'Isère*, *Frauenkrankhh.*, Leipzig 1841, p. 343 seq.

5) *Ibidem*.

6) *Ej. das Geschlechtsleben des Weibes*, Leipzig 1841. Bd. III. p. 784 seq.

7) *Ej. Ueber fibröse Körper der Gebärmutter*. Denkschrift etc. Dorpat 1842.

8) *Ej. Frauenzimmerkrankhh.*, Leipzig 1843, I. p. 824 seq. *Ej. Ueber die Polypen der verschiedenen Höhlen des Körpers*, Leipzig 1820.

9) *Ej. Sammlung gekrönter Preisschriften, aus dem Englischen*, Berlin 1847.

10) *Ej. Ueber die Erklärung der Pseudoplasmen*, Wien 1851.

11) *Ej. Die rein chirurg. Operationen des Geburtshelfers*, Bonn 1853. II. p. 251 seq.

meriti, polyporum natura ac indole scite ac probe investigata, nomen assecuti sunt. Ex quorum omnium scriptis locus, qui maxime faciant ad auctorum sententias pernoscendas excerpserunt Mayer ¹⁾ in dissertatione et Malgaigne ²⁾ in libro de polypis conscripto. Nec denique silentio praetermittendum videtur, non solum in libris antiquissimis de medica arte conscriptis, sed in poetis quoque, aliisque scriptis, quae longissime a rebus medicis absint, polyporum uteri expressis verbis fieri mentionem ³⁾.

1) *C. Guil. Mayer*, diss. de polypis uteri, Berolini 1821, p. 7—14.

2) *J. F. Malgaigne* des polypes uterins, thèse de concurs. Second. edit. Paris 1833. p. 3—5. Vergl. *P. U. Walter*, Ueber fibröse Körper der Gebärmutter. Denkschrift. Dorpat 1842. p. 17.

3) Vergl. *Q. Horat. Flacci* epodon, lib. XII. angegeben in *P. U. Walter*, über fibröse Körper der Gebärmutter, Dorpat 1842, p. 17.

De polypis fibrosis uteri.

Nihil aliud intelligi volumus polypos uteri, nisi corpora quaedam fibrosa pediculis nixa in cavitatem uteri directa. Subdura sunt, elastica, benigna pseudoplasmata, sub ipsa membrana uteri mucosa pullulantia. Quodsi, id quod raro, accidit, in ipsa uteri substantia gignuntur, hoc ita fit, ut locum insertionis habeant interiori uteri parieti propriorem quam exteriori. Pediculis plerumque nixa crescentia aut in cavitate uteri subsistunt, aut longius prorescendo ore uteri diducto vel in vagina vel inter ipsa femora aegrotarum conspiciuntur. Ovataque, quum sint alii specie prorumve consimili, alii ad globi formam proxime accedant; id habent polypi uteri, ut et semper fere sensu careant et quibusdam plerumque salis certis praenuncientur symptomatis.

In polyporum uteri genere longe esse frequentissimos eos, qui fibrosi nominantur, usu cognitum habemus, praeparatorumque, quae vocantur, magno numero, in thesauris anatomicis asservatorum demonstratur. De loco, in quo insideant polypi, quum quaerimus, praecipuam eorum sedem apparet esse parietem cavitatis

uteri posticum fundumque uteri juxta tubarum, quae dicuntur Fallopicarum, introitum. Raro parieti antico inhaerent, rarissime uteri collo.

Dum in cavitate uteri inest polypus, formam habet complexui uteri accommodatam, qui quum dilatatus formam assumat ovatam, polypus quoque ovata erit specie piroque simili. Fieri tamen potest, ut paulum deprimatur illa figura ovata, quum quidem duo vel plures polypi simul in utero insint. Plerumque polypus ab initio pediculum habet, nam quum maxima superficiei ejus pars uterum non attingat, exigua quaedam pars ad pedis instar utero innititur. Nec non accidit aliquando, ut polypus in principio utero insistat latiore basi, quae sensim coarctata, minuta cum utero conjunctione, in pedem denique mutetur. Per os uteri quum exiit polypus, piri formam habere solet basimque deorsum infixam; auctus deinde vaginae accommodatus magis cylindratus¹⁾ evadit. Atque formae quoque insolitae observatae sunt abnormesque, nam inveniuntur passim polypi contra morem et consuetudinem complanati, angulati, lacinosi²⁾, conici quoque acumine deorsum verso, ut portioni vaginali uteri simillimi sint. Sunt praeterea, quos rimulam habere credere possis similem

1) *Gooch*, über einige der wichtigsten Krankheiten, die den Frauen eigenthümlich sind, aus dem Englischen, Weimar 1830. Vergl. *P. U. Waller*, über fibröse Körper der Gebärmutter, Denkschrift etc. Dorpat 1842. p. 24.

2) *Colombat de Elère*, Behandlung der Frauenkrankh., Leipzig 1841. p. 347.

ori uteri¹⁾; cum clepsydris²⁾ compares alios, coarctationem qui in medio gerant. Nec desunt denique polypi fibrosi, qui, quum ceteri deorsum vaginam versus tendant, sursum in cavum uteri incresecant. Cujus rei exemplo est praeparatum polypi fibrosi ab *Huntero* descriptum, qui parieti colli uteri postico insidens, sursum in cavum uteri exerevit³⁾, ejusque formam assumsit. Alia ejusmodi exempla afferuntur a viris doctissimis *Warren*⁴⁾ et *Loir*⁵⁾.

Magnitudo polyporum fibrosorum quamvis diversissima sit, tamen, qui in portione uteri vaginali insident, minores, qui supra in ceteris uteri partibus inhaerent, majores esse solent. Aetatis quoque polyporum est ratio habenda, nam inquiringibus perspicuum erit, quo quisque sit aetate provecior, eo esse majorem. Et quo loco suboriantur multum refert, itaque in cavo uteri minores plerumque deprehendes, quam ibi, ubi

1) *Velpéau*, Abhandl. der chirurg. Anatomie, aus dem Französischen, Weimar 1828. Liefer. 1. p. 890. Vergl. *P. U. Waller*, über fibröse Körper der Gebärmutter, Denkschrift. Dorpat 1842. p. 24.

2) Aus *Dupuytren's* chirurg. Klinik mitgetheilt von *Dd. Marx* und *Paillard* im Journ. des Connaiss. med. chirurg. Livr. 5 u. 6, 1831. Jan. u. Febr., von den fibrösen Körpern oder Polypen der Gebärmutter; im Auszuge in *Schmidt's* Jahrbüchern II. 2. Vergl. *P. U. Waller*, über fibröse Körper der Gebärmutter, Dorpat 1842. p. 24.

3) *Lee*, Sammlung gekrönter Preisschriften, aus dem Englischen. Berlin 1817, p. 43.

4) *Ibidem*.

5) Mem. de la société de Chirurgie de Paris. Paris 1851. Tome XII. p. 1 seq.

jam per os uteri in vaginam descenderunt. Momentum quoque habet in polyporum magnitudinem numerus eorum, attinetque scire, quot uno eodemque tempore in utero existant. Nam unicus, quum in utero insit, latius germinat, plures quum exsint, vel cuncti parvi esse solent, vel unus ceteris quasi suffocatis ambitu eminent. Ad postremum explorantibus polyporum magnitudinem animus advertendus est ad vasorum sanguiferorum, quae in polypis insunt, numerum; nam, ut ceterae non desint incrementorum causae, celerius crescere et augeri eos patebit, in quibus plura vasa sanguifera insint. Plerumque polypi magnitudinem ovi vel anserini vel gallinacei non excedunt; inveniuntur tamen multo majores. Sic Schacher ¹⁾ refert, polypum se vidisse quinque libras et decem uncias pondo, N. Meyer ²⁾ alium septem libras cum septem uncias pondo, Baudier et P. U. Walter ³⁾ polypos viderunt decem librarum cum selibra utrumque. Veil ⁴⁾ Canstadiensis polypi mentionem facit a se visi duodecim ad tredecim libras pondo valentis; Marx et Paillard ⁵⁾ affirmant in polypos se incidisse quindecim ad sedecim librarum, amplius nihil de hac re afferentes. Ipse aliquando polypum exstirpavi octo libras cum selibra valentem, qui

1) Vergl. *Meissner's Forschungen des 19. Jahrhunderts*, Leipzig 1826, p. 180.

2) Vergl. *P. U. Walter*, über fibröse Körper der Gebärmutter, Denkschrift etc., Dorpat 1842, p. 28.

3) *Ibidem*.

4) *Ibidem*.

5) *Ibidem*.

quatuor pollices dimidiumque pollicem ex rima pudendorum prominebat, alterum eidem mulieri biennio post subligavi tres libras cum selibra pondo.

Polypi fibrosi quamquam singuli fere in utero inesse solent, plures tamen simul insidentes inventos esse luculentorum auctorum testimoniis comprobatum est. Sic Lee tres polypos fibrosos simul in collo uteri infixos observavit, Lisfranc semel quinque polypos simul in utero mulieris cujusdam, iterumque sex in alterius utero inhaerentes vidit. Dorpati quoque in thesaurores pathologicae et anatomicae continenti uterus asservatur, ex quo tres polypi fibrosi eodem tempore exsecti sunt. Nec solum plures in eodem utero polypi simul inveniuntur, sed accidit etiam, ut uno ex pediculo duo polypi, sejuncti alter ab altero, proficiscantur, cujus rei exemplum attulit Lee ¹⁾. Duobus quoque in locis substantiae uteri polypus infixus esse potest, cujus generis exemplum Lever ²⁾ affert.

Quoad in cavo uteri continetur polypus, superficie plana glabraque semper esse videtur. Quum vero aliquandiu vagina inclusus fuerit, singulis partibus magis auctis fieri potest, ut inaequalis evadat vel asper, vel nodosus, vel striatus, vel lacinosus. Id tum maxime accidere solet, si vel inflammatione, vel suppuratione, vel emollitione, vel gangraena et ceteris causis polypi pathologicae degenerant. Nascitur haec asperitas rimis

1) *Ej. Sammlung gekrönter Preisschriften*, aus dem Englischen. Berlin 1847, p. 41.

2) *Ibidem*.

striisque superficiem tumoris huc illuc transeuntibus et radentibus. Quodquum alius descendunt striae, id quod raro fit, tela cellulosa impletae sunt dura ac adstricta in minoribus polypis, laxa et dissolubili in majoribus.

Superficies polyporum non degenerum candore carnosus est, distincto coeruleis venis nunc majoribus, nunc minoribus, ita ut coloris varietas ex vasorum numero pendeat, quae membranae mucosae polypum velanti insident. Major est varietas coloris in polyporum substantia elucens, id quod patefiet polypo dissecto. Effici videtur varietas illa cum texturae et structurae genere, tum vasorum numero. Plerumque substantia media subflava est, nonnunquam surrubicunda maxime superficiem versus. Varie immutatur color polyporum degenerum, nam alii rubri sunt, alii violacei, alii lividi, alii cani, alii fusci, alii cineracei, alii nigri, prout protractae sunt inflammatio, suppuratio, gangraena.

Polypi fibrosi, pediculo semper magis minusve arcte utero conjuncti, membrana uteri mucosa sunt obducti, quae perpetua compressione, cui polypi obnoxii sunt, crassissima interdum fieri potest. Sub membrana mucosa latet tela cellulosa spissa, vasis distincta, vinculum laxum quasi, quod est inter polypum et membranam mucosam uterinam. Praeterea nonnunquam involucrem quoddam invenitur fibris musculorum uteri contextum, alias crassius, alias tenuius, polypum aut totum partimve obducens aut solum pediculum involvens. Quod musculorum stratum, quum adest, maxime spissum esse solet in pede polypi, tenuius corpus versus.

Perit hoc musculorum stratum incremente polypo, quo facto pediculus non constat nisi ex membrana mucosa pediculum obducente et tela cellulosa ¹⁾.

Formatio pediculi quomodo procedat, promptum et apertum esse videtur; nascitur enim forma tumoris rotunda. Cui incrementi quum obstet spissus uteri textus, eo prorumpit, ubi nihil obstat, protrudens proximas quasque membranas, ut toti tumori se applicent. Contractione oris uteri non formari pediculum, id quod multi artis medicinae auctores contenderunt, inde patet, quod polypi in cavo uteri quoque insidentes inveniuntur pediculis nixi. Nec deest pediculus iis polypis, qui in labiis oris uteri inhaerentes in vagina ipsa oriuntur. Digitum denique, quum facile inter labia oris uteri et polypum inducere possimus, non tam arctam apparet esse contractionem, ut pedem polypi efficere possit ²⁾. Plerumque pediculus ipso polypo tenuior est, ut Hauk rationem esse contendit 3 : 1, Arming 2 : 1. Qua de re quum vix certi aliquid afferri posse videatur, tenendum est, longissimos quosque pediculos tenuissimos fere esse. Semper pediculus magna est firmitate, membranae, ex quibus est compositus, crassiores quam quae sunt in fundo et corpore tumoris, tela cellulosa contra tenuior molliorque esse solet. Quae membranarum pediculi inclusa est tela cellulosa, tenuis mollisque esse

1) *P. U. Walter*, über fibröse Körper der Gebärmutter. Denkschrift etc. Dorpat 1842. § 10 p. 26.

2) *Ibidem* p. 27.

solet, quippe in qua venae, arteriae, vasa lymphatica, ipsique nervi, ut quidam contendunt, insint ¹⁾.

Pediculum a principio semper simplicem esse Gerdy asseverat, non raro tamen durante malo polypum cum utero pluribus locis coalescere et Eschenbach et alii observarunt, id quod tum potissimum fieri dicunt, quum suppuratio superficialis membranam mucosam invasit. Ut Marx et Paillard referunt, Balzak complures ejusmodi commissuras, ut ita dicam, dirupit, affirmatque Gerard commissuras id genus se vidisse ipso pediculo tenaciores ²⁾; plerumque vero molles sunt facileque vel digito vel scalpelli manubrio dirimuntur.

Maximam partem etsi massam firmam ac solidam polypi exhibent, nonnunquam tamen cavitates habent sive majores sive minores, tunicis glabris splendidisque intus munitas. Nec non insunt prominentiae fibrosae trabeculis carnis cordis similes ³⁾. Completae sunt cavitates vel sanguine vel aliis liquoribus, pili quoque adepsque in iis inventi sunt ⁴⁾. His cavitatibus fieri potest, ut polypus similitudinem quandam cum ipso utero prae se ferat, qua re decepti quidam, quum polypum exstirpassent, uterum ipsum exstirpasse sibi persuaserunt. Qui error anno etiam 1823 Richerand et Cloquet

1) *P. U. Walter*, über fibröse Körper der Gebärmutter etc. Dorpat 1842, p. 26.

2) *Meissner's* Frauenzimmerkrankheiten. Leipzig 1843. I. pag. 837. 838.

3) *Lee*, Sammlung gekrönter Preisschriften. A. d. Engl. Berlin 1847, p. 49 u. 50.

4) *Ibidem*.

transversos egit, chirurgos illos clarissimos in nosocomio, quod Parisiis est Sancti Ludovici ¹⁾. Eodem errore circumventi Boudon, Maune, Collin eo processerunt, ut mulieres vel exstirpato utero gravidas fieri posse contenderent ²⁾.

Radicanur polypi fibrosi, sive simplices, sive ramosi in tela cellulosa interstitiali parenchymatis uterini, vertuntque crescendo in fibrarum congeriem radiatam (strahlige Faserung), quae accidente substantia quadam interstitiali molli, vasculosa, cellulosa in complures fasciculos dilabitur, ita ut tota massa praecipue peripheriam versus structurae sit lacinosae, unde fit, ut aliquando superficies polyporum ipsa laciniosa esse videatur ³⁾. Frerichs ⁴⁾ de structura penitior et natura chemica polyporum fibrosorum haec dixit:

Structura penitior.

Superficies eorum vestita est tunica mucosa cavitatis, in qua habitant. Corpus polypi eandem, quam tendines, praebet structuram; fibrillae enim sunt eadem, quas dicunt telae cellulosa, cursu sinuato, $\frac{1}{1000}$ crassae, partim singulae decurrentes, partim in fasciculos diversi circuitus contextae.

1) *Colombat de Isère*. Behandlung der Frauenkrankheiten, Leipzig 1841, p. 347.

2) *Ibidem*.

3) *Bokitansky*, Handbuch der pathologischen Anatomie, Wien 1842, Bd. III, p. 543.

4) *Ej.* de polyporum structura penitior, Diss., Leerae 1843, p. 18, 19.

Fasciuli, qui inter se tela cellulosa laxiore conjuncti sunt, decussantur. Addito acido acetico passim conspiciuntur nuclei partim forma ovali, partim ad lineas elongali (Kernfasern, Henle).

Non raro lineae illae tractu spirali fasciculos fibrillarum circumplicare videntur.

Natura chemica.

Evolutio fibrarum, e quibus polypi fibrosi compositi sunt, non solum morphologice sed etiam chemice omnibus numeris absoluta est. Itaque mutantur coquendo in collam, cujus natura a colla partium corporis sani nullo modo discrepat. Nam

Infusum Gallarum magnam efficit turbationem.

Spiritu vini concentratissimo turbatur.

Idem fit solutione jodi aquosa et liquore platini muriatici.

Hydrargyro nitrico oxydulato et zincu muriatico vix turbatur.

Acida, alcalina caustica, reliqua reagentia solutionem nullo modo mutant.

Evaporatione concentrata solutio, si refrigerescit, gelatinae speciem accipit.

Fasciuli fibrarum acido acetico redduntur pellucidi; fibrillae tunc non possunt observari; superficies redditur granulosa; interdum striae transversales apparent¹⁾. Nonnulli observatores, velut Jordan et Valentin, affir-

1) *Henle*, allgemeine Anatomie. p. 350.

mant, acidum aceticum, in quo tela cellulosa macerata est, tubari Kalio ferrocyanico.

Acidum aceticum cum fibris tendineis, bene ablutis, per XXIV horas leniter calefactum, deinde filtratum, mihi (i. e. Frerichs) Kalio ferrocyanico non turbabatur.

In membrana polypi mucosa manifesto apparent vasa plena et perfecta ramis discurrentia et cum in polypi telam cellulosa descendunt tum in polypum ipsum, praecipue autem in telam cellulosa, qua singulae polypi lacinae conjunguntur. Transitus quoque fieri vasorum ex tela cellulosa in polypum ipsum injectionibus perspicuum est¹⁾. In pede polypi majores etiam arteriae inventae sunt, in ipso polypo P. U. Walter²⁾ teste rete tantum vasorum capillarium tenuissimum exstat. Levret³⁾ in pede polypi arteriam invenit in corpus ejus usque pertinentem. Lisfranc⁴⁾ saepe in pediculo venas dilatatas observavit; itemque ipse in polypo fibroso prospero successu excisione a me extirpato, cujus pediculi diametrum trium circiter erat pollicum et dimidii, exitus trium vasorum caulem pennae crassitudine aequantes investigavi in corpus polypi pertinentes. Itaque negari non poterit esse in polypis veram perfectamque sanguinis circulationem.

1) *Lee*, Sammlung gekrönter Preisschriften. A. d. Engl. Berlin 1847, p. 13 u. 51.

2) *Ej.* über fibröse Körper der Gebärmutter, Denkschrift etc. Dorpat 1842. p. 44.

3) *Lee*, Sammlung gekrönter Preisschriften, aus dem Engl. Berlin 1847. p. 54.

4) *Ibidem*.

Quodsi autem quaerimus, quae sit origo et qui quasi fons tam vehementium sanguinis profluviorum, quibus mulieres polypis laborantes cruciantur, causam inesse in membrana mucosa non latet. Nam quaque irritatione uteri sanguis in textu ejus in orbem motus augetur, qua in re quum simul membrana mucosa intus uterum muniens alteraque, quae obducta est polypo, congestionem afficiantur, id quod aequè in mensibus accidit, membranam irritatam causam esse sanguinis profluentis apertum est. Ac re vera menstruorum tempore semper sanguinis profluvia fiunt, quibus auctis et iteratis plerumque aegrotae tandem se aliquo malo laborare sentiunt. Tempore polypus perpetuam in utero congestionem excitat, qui nonnunquam haemorrhagiis uberibus maximamque partem subtilis levationem sibi invenire studet. Sed ruptio quoque varicum in membrana mucosa polypi observata est, qua in casu aliquo tantum sanguinis profluvium ortum est, ut ad subligationem esset descendendum, id quod in nosocomio Scti. Bartholomaei factum tradit Rigby ¹⁾.

Neque tamen ex haemorrhagiarum crebritate ac vehementia recte de polyporum magnitudine conjecturam facere possumus. Interdum enim permagni polypi sanguinem prorsus non fundunt, quum parvi, vel minimi periculosissimas haemorrhagias efficere possint, id quod ex Gooch et Lever observationibus patet usque saepissime demonstrat.

1) *Lee*, Sammlung gekrönter Preisschriften, aus dem Engl. Berlin 1847. p. 55.

Polypus fibrosus ipse sensu caret nervosque non habet. Si qui vero dolores vel subligando vel specillo immittendo vel pungendo excitantur, ex membrana uteri mucosa illi oriuntur, quam non magis quam polyporum, quae supra commemoravimus vasa, nervorum fibris carere consentaneum est, etsi vel diligentissima investigatione anatomica nondum reperta sint.

Mutationes organicae, quae sensim in polypis fibrosis fieri possunt, variae sunt. Congestiones in iis saepe suboriri jam supra dictum est, sed inflammationes quoque et qui inde manant exitus, etsi raro accidere possunt. Velut abscessus in intimo polypo nasci potest pus uberrimum profundens, cujus rei exemplum Ramsbotham affert, ex matronae cujusdam vetulae polypo complures annos quae laborasset, maximam vim puris, quotidie pintam fere et dimidiam, abscessu orto profluxisse ¹⁾. Saepius quidem in partibus polypo propinquis inflammatio cernitur; sin polypus ipse inflammatus est, tela cellulosa plerumque inflammationis sedes est. Tum colore nigrescente polypus magis minusve purpurascit. Saepissime haec inflammatio occurrit, quum polypus relictis genitalibus foras processerit, externis adventiciisque incommodis laecessito. Exulceratio quoque in superficie polypi et gangraena offeruntur. Cancrosa degeneratione autem quum polypus afficitur, dyscrasiam canerosam jam ante in corpore iufuisse certum est.

1) *London. Med. Gazette* 20. June 1835. Vergl. *Lee*, Sammlung gekrönter Preisschriften, aus dem Englischen, Berlin 1847. p. 55.

Nunquam vero, ne tum quidem, quum corporis cancrasa dyscrasia polypus afficitur, maligna est indole, quae aegrotae propria est, non polypi. Profecto polypus, quum relictis genitalibus foras processerit, inflammatione et quae eam sequitur, suppuratione, exulceratione, gangraena speciem habere potest malignam vereque suspectam nec solum plurimum damni organismo afferre sed etiam saniei resorptione celerius mortem efficere potest quam ipsa dyscrasia cancrasa. In inquisitione vero anatomica nunquam in polypo fibroso dyacrasia cancrasa affecto signa inveniuntur vel scirrhus, vel cancro propria. Nunquam glandulae propinquae tumescunt, nunquam exstirpato polypo observata sunt recidiva cancrasa. Attamen quum interdum verus cancer vel fungus uteri pro polypo fibroso haberi possit, commissum esse videtur ut quidam polypum metamorphosi in cancrum verti existimarint.

Inflammationibus effici posse, ut polypus cum proximis organis coalescat, supra dictum est. Sic observatum est, coalescere polypum cum superficie uterina et cum vagina. Semper fere ejusmodi conjunctiones laxae sunt et facile dirimuntur.

In polypis fibrosis vasorum uberioribus Kiwisch mensium tempore vel ante haemorrhagiam celerem magnamque observavit voluminis accretionem, receptione sanguinis aucta aut effusionibus serosis in interstitia cellulosa effectam, tam celeriter, quam accreverat, rursus decrescentem. In graviditate quoque in plerisque polypis fibrosis magna cernitur emollitio et succorum receptio, id quod plurimum confert ad uterum gravi-

dum dilatandum. — Nonnunquam etiam vasorum ruptione foci apoplectici in his tumoribus nascuntur¹⁾.

Nec non cartilaginee et ossificationes in polypis inventae sunt, unde, quod factum esse quidam referunt, ut lapides ex utero sint ejecti explicari potest. Lee²⁾ complures ejusmodi affert casus, in iis maxime singularem, quem, re non accuratius indicata, a Michel Mornus observatum esse dicit, duos et triginta in uno utero inventos esse lapides, quorum qui maximus erat amygdalam magnitudine aequabat³⁾. Quae ossificationes ex calce phosphorica constant cum paullulo Natro carbonico et phosphorico, cui admixtae sunt tela cellulosa et substantiae animales aliae ratione variabili. Cujusmodi polypos veteres polypos duros nominaverunt.

Nec non spontanea solutio polypi ab uteri parietibus sanatioque spontanea aliquando accidunt. Quod quibus opportunitatibus efficiatur, difficile quidem est dictu, sed pluribus observationibus confirmatur. Marchal de Calvi⁴⁾ viginti quatuor casibus collectis has causas proponit:

1) Dissolutio gangraenosa. Ejusmodi casum anno 1788 Stark⁵⁾ descripsit, quo post effluvia putida

1) *Prager Vierteljahrsschrift für practische Heilkunde*, III. Jahrgang, Prag 1846. Bd. IX. p. 69.

2) In der *Cyclopaedia of practical Medicine*. Art. „Tumors of the uterus“. Vergl. *Lee*, *Sammlung gekrönter Preisschriften*, aus dem Englischen. Berlin 1847. p. 48.

3) *Ibidem*.

4) *Prager Vierteljahrsschrift für die practische Heilkunde*, I. Jahrgang. Prag 1844. Bd. III. p. 156. 157.

5) *Meissner's Frauenzimmerkrankheiten*. Leipzig 1843.

polypus semesus sponte excidit. Inde ex illo tempore multae ejusmodi observationes factae. Domina Boivin ea de re dicit polypum inflammari solvique posse.

- 2) Suppuratio, gangraena vel atrophia pediculi compressione oris uteri effecta. Tametsi Meissner¹⁾ negat id fieri posse, parum sibi verisimile videri dicens, uteram profluviis sanguinis infirmatum in collo maxime tam fortiter comprimere posse polypum, ut decidere cogatur, tamen observationes factae rem confirmant. Sic Lisfranc²⁾ observationibus institutis contendit, collum uteri pediculum polypi tam fortiter adstringere posse, ut compressio ejus eandem vim exhibeat, quam ligatura, qua re efficit, ut polypus decidat. Simul casum quoque describit, quo progressus dissolutionis polypum invadentis observando persequi potuit, donec ad postremum polypus decideret. Campbell³⁾ quoque casus nonnullos commemorat, quibus os uteri pediculum polypi arcte complectendo circulatione in eo impedita eum enecuit, ut decideret.
- 3) Dilatio universalis, extenuatio et ad postremum disruptio pediculi polypi pondere effecta. In plerisque casibus huc pertinentibus tenuem pediculum

Bd. I. p. 853; der Fall selbst ist angegeben in *Stark's Archiv für Geburtshülfe*. Bd. I. pag. 3—15.

1) *Ej. Frauenzimmerkrankh.*, Leipzig 1843, Bd. I. p. 855.

2) *Lee*, Sammlung gekrönter Preisschriften, aus dem Englischen, Berlin 1847, p. 47.

3) *Ibidem*.

polypus habet magnique refert, quantus polypus sit et utrum ossificationes in eo insint nec ne, nam quum ita res se habeat, ubi in vaginam descendit vel per rimam pudendorum foras eruperit, pondere suo vim habiturum esse in pediculum a vero non absonum est.

- 4) Abruptio subita pediculi causa extrinsecus accedente effecta. Polypum ejusmodi abruptum Marchal de Calvi¹⁾ in medium protulit in congressu quodam medicorum Parisiensium, subitam ejus abruptionem repetens a subita compressione intestinorum in excavationem recto uterinam onere sublato effecta. Pariterque Clarke et Hamilton²⁾ virium aegrotarum in vomitu contentione abruptionem polypi effici posse dicunt.
- 5) Expulsio et solutio polypi per contractiones uteri factae. Sic Garden³⁾, ut polypus egiceretur magnitudine capitis partus maturi, effecit secali cornuto, quo per octo dies usurpato polypus cum doloribus eorum ad partum similibus in vagina comparuit tandemque decidit, ita ut mulier prorsus convalesceret. Idem factum est in casu ab Hunter et Koemm descripto; nec non Dupuytren per contractiones uteri solutionem polypi confici posse censet.

1) *Prager Vierteljahrsschrift für pract. Heilkunde*, Prag 1843. Bd. I. p. 124. 125.

2) *Vergl. Meissner's Frauenzimmerkrankheiten*, Leipzig 1843, Bd. I. p. 855.

3) *Prager Vierteljahrshchrift für pract. Heilkunde*, Prag 1845. Bd. VIII. p. 72.

6) Solutio polypi inter labores ad partum.

Solutionem polypi spontaneam fere sanitas sequitur, inveniuntur tamen quoque casus convalescentiae praetereuntis, paullo melius quum se habent aegrotae, febris hectica minuitur, non tamen cessat denuoque auctam mors sequitur. Plerosque casus solutionis spontaneae Carus non periculo vacuo existimat, quum fere provecius sit malum, antequam ejectio fiat solutioque semper conjuncta sit cum haemorrhagiis corpus conficientibus. Hueter contra tum demum solutionem spontaneam periculosam existimat, quum polypus putrefactus est sanieque resorptio facta.

Uterus polypum fibrosum continens plerumque eadem subit mutationes organicas, quas in graviditate. Ut in graviditate crassiores fieri videmus parietes uteri simulque eum augeri. Vasa et muscoli in dies augetur, qua re substantia uteri divitior fit vasis et sanguine, mollior, rubrior, carnosior. Quae mutationes primum in fundo et corpore uteri apparent, deinde quoque in portione vaginali, qua magis magisque evanescente fit, ut os uteri aperiatur. Fibrae enim musculorum uteri, magis minusve auctae, polypo hostiliter quasi uterum aggrediente, contractiones ejus efficiunt, quae ut dolores ad partum certis intervallis repetitae ore uteri aperto polypum in vaginam inducunt quin etiam per vaginam et rimam pudendorum foras protrudunt. Qua in re, ut in partu, inversio uteri fieri potest aut perfecta aut imperfecta. Raro portio vaginalis uteri rigidior est, quam quae, ut os uteri aperiatur, facere possit, vel infirmiores sunt contractiones uteri, quam qui-

bus polypus protrudatur. Tum magis magisque dilatato utero, inflammatione et malis cum ea conjunctis, iteratis haemorrhagiis et quae inde oritur anaemia, statibus hydropicis fieri potest, ut mors afferatur.

Quamquam plerumque hypertrophia uteri adest, tamen atrophia quoque ejus observata est, praesertim polypis fibrosis in ipsa substantia uterina orientibus, magnique quum sunt et numerosi in substantiam uteri circumjacentem imprimunt. Aequae atrophia reperta est, quum mulieres ultra annos, quos vocant climactericos, progressae polypo laborant. Simul deformitates uteri maxime variae accidere possunt. Cujus generis casum quo uterus atrophicus, vi non polypi ille quidem, sed corporis fibrosi cylindri formam induens ad sex pollicum longitudinem extentus apparebat, P. U. Walter¹⁾ in medium protulit. Totum praeparatum inest in thesauro anatomico-pathologico universitatis Dorpatensis.

Membrana mucosa uteri crescente polypo magis magisque tumescit, vasa imprimis magna multaque in ea fiunt, statum prae se fert hyperaemicum-catarrhalem. Cum incremento polypi orta quoque uteri hypertrophia, uterum ambitu crescit. Quum etiam in utero polypus inest, quo major est, eo facilius uterus per abdominis parietes tentando explorabitur. Quod quum ita se habet, uterum invenimus supra symphysin ossium pubis, quin in casu a Loir allato, de quo supra diximus, fundus uteri in regione umbilicali a tentantibus reperiebatur. Quodsi

7) *Ej. Ueber fibröse Körper der Gebärmutter, Denkschrift etc. Dorpat 1842, p. 10. 11.*

parvus est polypus, uterus demittetur et oriri poterit descensus vel etiam prolapsus uteri, praesertim, quum polypus cum utero praeter pediculum coaluerit.

Directio quoque axis fundi uteri immutabitur, ut corpus cum collo obtusum, quin etiam rectum angulum facere possit, quin interdum postremo reclinaciones uteri perfectae observatae sunt.

Quum jam per os uteri in vaginam transit polypus, uterus contrahetur minusque alte in pelvim eminebit. Simul tum interdum inversio quoque uteri perfecta vel imperfecta observata est, maxime, quum vel in fundo vel in corpore uteri polypus insidebat extenuati-que erant uteri parietes.

Nec non cavum uteri pro polyporum magnitudine plus minusve amplificabitur nec coarctabitur, nisi descensione eorum in vaginam facta, qua in re locus insertionis maximi momenti erit. Itidem dilatatio canalıs et orıs uteri pendebit ex magnitudine polypi.

Ut uterus ipse, ita functiones quoque ejus perturbari necesse erit. Quae tamen functionum perturbationes neque semper exstant, neque semper eadem sunt vehementia, quin functionum perturbationes, quae a polypo originem ducere videantur, permagnae esse possunt, etiamsi polypo uterus labore nullo. Ad menstrua, quod attinet, polypi fibrosi abnormitates eorum plerumque efficiunt; nam vel nimis larga sunt, vel saepius repetita, vel dolorifica. Saepe in veram haemorrhagiam vires exhaurientem converti ea videmus. Gooch eo has haemorrhagias memorabiles esse dicit et singulares, quod in iis insint sanguinis

coagula annulorum forma similia, quae sanguinis circum pedem polypi concrecione fieri dicit. Raro sunt profecto, quum vero adsunt, certo argumento polypos adesse demonstrant. Frequentior autem est cruentarum concrecionum lymphaticarum excretio vitiosa sanguinis mixtione aegraque uteri actione oriunda. Saepe tum cruoris crassamentum in vagina et in utero invenitur. Qui cruor revera putrescit, immutato colore fuscus fit et foetidus, nonnunquam quoque natura est acris. Menstruis vel haemorrhagia sedatis, fluor albus ingruere solet, magna varietate oblatu. Alias per breve tempus durans parvus est mitisque naturae, alias uber, saniosus, foetidus, acer et genitalia vicinasque partes inflamat et ut crudae sint erodit, perduratque denique nunc per brevius tempus, nunc per longius tempus, vel ad proximam menstruorum periodum.

Quodsi quaerimus, quam vim polypus in conceptionem et graviditatem exhibeat, saepissime eum sterilitatis causam esse apparet, tum maxime, quum in collo uteri insidet. Porro et magnitudine sua et, quum quidem sensu non caret, dolore quem concumbentibus excitat, coitum impedire potest. Conceptionem post extirpationem polypi fieri quum negetur, fuisse interdum mulieres, quae, quamdiu polypo laborarent, steriles essent, remoto polypo conciperent, Lisfranc¹⁾ testatur. Quoad enim polypus in utero infixus, parvus est, sanguinisque sive nullam, sive parvam excitat profusionem,

1) *Lee*, Sammlung gekrönter Preisschriften, aus dem Englischen, Berlin 1847, p. 68.

non est, cur conceptio impediatur, quum vero magnus est, haemorrhagias magnas et saepe repetitas efficit aegerrime conceptio coitus sequi poterit.

Si graviditas jam initium cepit, plerumque non ad finem pervenit laetum et exoptatum. Impedit enim polypus, quominus recte uterus extendatur, et ipse multum sanguinis consumit in orbem per uterum moti foetui alendo necessarii. Quum denique identidem haemorrhagias excitet, quae creberrimae et vehementissimae esse solent vasis in graviditate auctis majoreque sanguinis copia affluente, abortuum saepe causa est, mature plerumque incidentium. Quos abortus maximam partem vehementes haemorrhagiae vel comitantur vel sequuntur, nec non ovi deformitas, degeneratioque in molam, vitioso in utero aegro alimento ortae conspiciuntur.

Nec tamen graviditas non cursum tenere potest rectum ac solitum. Partus tamen ipse ab initio abnormis esse solet et contra morem procedere, dolores ad partum alias lentiores sunt et infirmiores, alias vehementiores, semper abnormes. Jam mature haemorrhagiae incipere solent inter partum augescentes. Tum quoque et sede et magnitudine polypus partum impedire potest, nam pelvis complexum minuendo partum difficiliorem reddit. Qua in re advertendum est ad emollitionem polypi vi naturae effectam, quae interdum eo procedit, ut vel quum maxime polypus pelvim compleat, partus fieri possit ¹⁾.

1) *D'Outrepoint's*, Beobachtungen und Erfahrungen IX. I. S. 1—11.

In secundarum periodo saepe sanguinis profusiones obviae sunt placentaеque solutio abnormis ¹⁾, simul in placenta et polypo removendo inversio uteri incidere potest, atque eo quidem facilius, quum mollior sit uteri massa. Esse quidem potest, ut partus prospere procedat, rarissime tamen id fieri constat. Contra multi casus sunt eo memorabiles, quod partu feliciter in lucem edito in haemorrhagias violentissimas saepeque periculosissimas contractione uteri praepedita motas inciderunt puerperae. Neque insolitae sunt affectiones uteri inflammatoriae, peritonitis puerperalis, phlebitis uterina, metrhymenitis, quorum morborum exitus facile est letalis. Pertinent huc quoque observationes ab Oldham et Forget institutae, quorum ille ²⁾ novem casibus adactum se dicit, ut haec statueret:

- 1) Polypen verschiedener, selbst bedeutender Grösse können sich während der Schwangerschaft entwickeln, ohne dass diese oder die Geburt dadurch gestört wird.
- 2) Man kann darauf schliessen, wenn der Uterus nach der Geburt trotz energischer Contractionen sich nicht gehörig verkleinert. Von einer zweiten Frucht unterscheidet man sie durch das Fehlen des Fötal-

1) *Rob. Lee*, medic. chir. transact. — *Horlacher*, de sarcomate uteri. *Hartog*, in *Loders Journ.* IV. 2. — *D'Outrepoint* l. c. Bd. IV. I. p. 54—58. Vergl. *P. U. Waller*, über fibröse Körper der Gebärmutter, Dorpat 1842, p. 53.

2) *Prager Vierteljahrsschrift für practische Heilkunde*. II. Jahrgang, Prag 1845, Bd. II. p. 167.

artiger Polyp jedesmal gleichzeitig mit dem Kopfe eintrat, und die Kinder in Folge der hierdurch sehr erschwerten Geburt alle todt zur Welt kamen.

- 3) Eine schnelle Erkenntniss des wahren Sachverhaltes ist wegen der die vorhandene Metrorrhagie und durch eine mögliche falsche Behandlung bedingten Gefahr, indem durch Ziehen am Polypen leicht Umstülpung des Uterus bewirkt werden kann, von der grössten Wichtigkeit.
- 4) Die Metrorrhagie kann gleich nach der Geburt oder erst später eintreten, anhaltend oder aussetzend, stärker oder schwächer sein.

Adesse polypos fibrosos plerumque ex gravibus valetudinis affectionibus conjectare licet, quodsi vero exigui sunt, fieri potest, ut nonnunquam sine ullo peculiari valetudinis incommodo ab aegrotis perferantur. Itaque compressione mechanica magis minusve vexari organa propinqua videmus. Sic ischuria obstipationesque alvi inde nascuntur, nec non facile expansio et distentio et ipsius uteri et organorum propinquorum consequuntur, maxime quum jam per os uteri in vaginam descendit polypus magnoque est ambitu. Aegrotae fere sensum habent vel gravitatis, vel tractus, vel expansionis in hypogastrio, in regione renali et lumbali et inguinali, in perinaeo et circa pudenda, qui sensus altius tumore descendente augeri etiam solent. Nec non symptomata consensualia simul quoque observantur, quae, quum per se nihil habeant singulare, quo polypos adesse significetur, uteri tantum morbum indicant. Actio tractus intestinalis magis minusve erit perturbata, nausea,

ipse vomitus, sapor injucundus, cibi fastidium aegrotas invadunt. Jam mature organismus affici solet, accidunt propter diuturnam uteri irritationem crebriaque sanguinis mucique profluvia totius corporis infirmitas et quae mala ex nervorum irritatione, sanguinis defectu, statu cachectico proficiscuntur. Sic varia conspiciuntur hysteriae symptomata, pallor faciem mature obducens, sensim in colorem flavescens, cinereumve, vel cinereum versus, praeterea facies plerumque deformis est gravemque prodit passionem, conjunctiva pallida, oculos circuli coerulei ambiunt; mature leucophlegmacia oritur, imprimis palpebrae ab initio tumescunt, postea pedes quoque, qui plerumque gelidi sunt. Animi affectio tristis est, infirmitas viriumque confectio augetur, pulsus indies celerior fit et imbecillior, febris hectica manifeste oritur, quae, si corpus valde extenuat acceduntque oedemata, mors consequi potest. Alii quoque casus letales esse possunt vel quum irritatio uteri metritim efficit vel saniei resorptione veneno suo corpus interimentis.

Polypi fibrosi quod undique sejuncti sunt, certissimo argumento est, haec pseudoplasma nova esse formationes. Non res nobis est cum transformatione partis uteri, non metamorphosis est materiae uterum ipsum formantis, sed ut alia pseudoplasma polypus fibrosus sui generis tumor ex succis corporis muliebris alentibus nascitur. Quodsi mera transformatione orientur polypi neque essent novae formationes, fieri posset, ut demonstraretur, qua ratione massa uterina in pseudoplasma immutaretur, id quod demonstrari non potest. Quodsi de causis meditamur novae ejusmodi

pulses, einer sich stellenden Blase und der Kindstheile, durch die Verschiedenheit der Form, des Volumens und vorzüglich der Konsistenz des Uterus; von Blutklumpen aber dadurch, dass der Polyp den Kontractionen nicht weicht, wohl aber das Koagulum, oder allenfalls ein degenerirtes Konceptionsproduct.

- 3) Die Hämorrhagie kann unbedeutend oder andauernd sein, und bald gleich, bald erst zwei bis drei Wochen nach der Geburt eintreten.
- 4) Nach der Geburt kann sich der Muttermund schliessen und der Uterus im Ruhestand verharren, oder es treten von Zeit zu Zeit Hämorrhagien oder von lebhaften Schmerzen begleitete Kontractionen ein, welche Erschöpfung und den Tod zur Folge haben können.
- 5) Manchmal löst sich der Polyp in Folge dieser Kontractionen ab und manchmal entstehen daraus, selbst bei kleinen Polypen, vollkommene oder unvollkommene Umstülpungen des Uterus, daher diese nicht bloß durch das Gewicht, sondern auch durch die vitale Action des Uterus bedingt werden.
- 6) Ist keine oder nur unbedeutende Blutung zugegen, so muss vor Allem durch Ruhe und Narcotica die Irritabilität des Uterus beschwichtigt werden; bei heftiger Blutung hingegen ist ein energisches Einschreiten nothwendig.
- 7) Man kann entweder mittelbar oder einige Zeit nach der Geburt den Polypen unterbinden, abschneiden oder abdrehen, ohne dass nothwendig üble Zufälle

dadurch herbeigeführt werden. Jedoch ist die Ligatur mit oder ohne Excision die beste Methode.

- 8) Recidive folgen der Operation nicht, sie bedingt nicht nothwendig Unfruchtbarkeit und prädisponirt zu keinem besondern Uebel bei den folgenden Geburten.

Forget ¹⁾ et suis et aliorum observationibus nixus has pro certis ponit sententias.

- 1) Die fibrösen Polypen heben die Möglichkeit einer Schwangerschaft, selbst wenn sie gross sind, nicht auf und behindern die Geburt erfahrungsgemäss nur wenig. Je nach der Länge ihres Stieles, dem Anheftungspunkte desselben und dergl., werden sie entweder vor, mit oder nach dem Kinde herausgedrängt oder sie bleiben im Uterus zurück. Abortus in Folge derselben hat F. nur einmal beobachtet und auch nach den Beobachtungen Anderer scheint derselbe nur ausnahmsweise vorzukommen (? ?)
- 2) Befindet sich der Polyp während der Schwangerschaft und nach der Geburt in der Höhle des Uterus, so ist die Mutter gefährdet, das Kind dagegen ist bedroht, wenn er während der Geburt die Scheide einnimmt und von grossem Umfange ist. So erwähnt F. einer Frau, bei welcher bei fünf nach einander folgenden Geburten ein vorhandener der-

1) Prager Vierteljahrsschrift für practische Heilkunde. IV. Jahrgang, Prag 1847, Bd. II. p. 57.

formas efficientibus, plerasque, quae afferantur, conjectura repertas apparet. In causis praedisponentibus plerumque enumerantur temperamentum lymphaticum, lichenes, mala syphilitica et scrophulosa, leucorrhoea inveterata, coelibatus, abortus, vita sedentaria. Ac qua quis sit aetate quoddammodo refert, nam iis annis, qui intersunt inter trigesimum et quadragesimum et inter quadragesimum et quinquagesimum, mulieres saepissime polypis laborare constat. Sic Malgaigne secundum Levret et Herbinaux et Roux observationes tabulam confecit et edidit, ex qua patet:

4 casus polyporum uterinorum extare	inter annum	26 et 30.
20 „ „ „ „ „ „	30 „	40.
16 „ „ „ „ „ „	40 „	50.
4 „ „ „ „ „ „	50 „	60.
3 „ „ „ „ „ „	60 „	70.
4 „ „ „ „ „ „	70 „	74.

Attamen adolescentulas quoque polypis uterinis interdum laborare observatum est. Sic Desault ¹⁾ polypum vidit in puella undecim annorum, cui post quatuor demum annos menstrua fluxerunt. Pfaff ²⁾ etiam puellae bienni polypum uterinum ligatura se extirpasse affirmat, de qua re tamen quum his verbis Malgaigne mentionem faciat: „parait en avoir vu aussi chez un assez jeune enfant“, de hoc casu dubitare licebit. — Quam modo exscriptam proposuimus tabulam, de toto polyporum uterinorum genere est composita, de polypis

1) *Busch*, Geschlechtskrankheiten des Weibes, Leipzig 1841. III. 813.

2) *Meissner's* Frauenzimmerkrankheiten, Leipzig 1843. I. p. 841.

uteri fibrosis nullae adhuc ejusmodi observationes extant. Bayle ex centum mulieribus supra triginta quinque annos natis viginti corporibus uterinis fibrosis laborare contendit; Portal inter viginti uteros anno 1770 a se exploratos tredecim invenit, in quibus corpora fibrosa latebant; Dupuytren ¹⁾ denique adeo contendit, non esse omnino uteros, quin tumores fibrosi insint. Sed polypii fibrosi multo rariores sunt quam corpora fibrosa et plerumque in mulieribus aetate provectoribus inveniuntur.

Causas efficientes investigare non minus difficile fuerit. Pertinent huc, quaecunque efficiunt, ut genitalia irritentur, in quibus sunt: nimia cogitationis luxuria, lascivorum librorum lectione tabulisque lascivarum picturarum contemplandis orta, onania, coitus saepius facti, praesertim quum conceptio de industria prohibetur, ceteraque ejusmodi; porro quaecunque sanguinis in genitalia congestiones sequuntur, ut affectiones haemorrhoidales, stratorum cubiculariorum nimis calidorum sellarumque mollius stratarum usus, cetera. Saepe partus quoque graves temere tractati, artis intempestiva et violenta intercessio, imprimis placentae utero adhaerentis violenta sejunctio, polyporum fibrosorum causae esse videntur. Attamen saepe vel diligentissime inquisitione instituta causarum supra memoratarum ne una quidem investigari potest.

1) *Colombat de l'Isère*. Behandlung der Frauenkrankheiten, Leipzig 1841. p. 349.

Observationes.

Accidit undetrigesimo die Junii mensis anni MDCCCXLIX, ut mulieres quaedam inopes oriundae Jeletz (quae est urbs gubernii Orelensis) me convenirent, rogantes, ut artis medicinae auxilia adhiberem mulieri cuidam ex propinquis suis graviter aegrotanti. Ex harum mulierum indicio aegrota prolapsu uteri laborabat, nam, eum esse morbum, obstetricem, quae publice in illa regione parturientibus adesset, triduo ante aegrota inspecta, pronuntiasset suasissetque, ut medicus accesseretur. Prae pudore tamen aegrotam quamvis admodum confectam primo medici auxilium detrectasse, tandem sacerdote, coenam sacram animam agenti, qui praeberet, auctore, concessisse, ut ad medicum iretur. Vocatus ego, ubi ad aegrotam perveni, quaestione habita haec comperi.

Anna Wassiljewna Wassiljewa, quadraginta circiter annos nata, ad annum usque quintum et trigesimum secunda semper usa erat valetudine et ad illud tempus in matrimonio sex liberos genuerat. Anno fere post ultimi infantis partum de menstruorum irregularitate

conqueri coeperat, quae tum non certis redeuntia intervallis crebriora facta erant, semper uberrima veraeque haemorrhagiae non dissimilia. In intervallis liberis profusio accesserat muci alias subalbidi, alias subflavidi. Accesserant deinde sensus gravitatis doloresque obtusi in regione pelvis ossisque sacri, lassitudo, infirmitas, variaeque hystericae commotiunculae. Anno circiter ante aegrota doloribus vehementibus, iis, qui ad partum obvii sunt, similibus cum magno ex genitalibus sanguinis profusio correpta fuerat, simul cessantibus paullulum doloribus corpus quoddam alienum capiti infantuli magnitudine suppar ex utero in vaginam descendisse animadverterat. Obstetrix deinde consultata, prolapsum uteri esse dixerat, nihil amplius aegrotam curans. Post tumorem descensum alvi obstipatio ischuriaque, quae jam ante non defuerant, creverant. Ex quinque diebus corpus alienum cum vehementibus doloribus ad partum similibus cum maxima et sanguinis et muci profusione per vaginam foras processisse. Nec amplius quidquam, quod referrent, habuerunt mulierculae, aegrotae propinquae, nam ipsa tam infirma erat, ut non nisi manibus commovendis, quid vellet, significare posset. Sita erat aegrota in pavimento, in stragulo laneo cruore foedato. Facies totaque figura imaginem referebant hominis gravissimo morbo conflictati. Facies lutea erat cum genis distinctis maculis, subrubris, circumscriptis, oculi in cavum depressi, palpebraeque oedemate crassae. Corpus summopere macie confectum gracilem ostendebat membrorum formam habitumque infirmum. Pulsus irregularis, parvus, suppressus, intermittens erat, centeni quini

et trigeni numero ictus in horae sexagesima parte. Sub lucem et post meridiem his ipsis diebus sudores existerunt in toto corpore, aegrotam exhaustantes, somno alto non reffectae fuerant hoc tempore aegrotae vires. Simul lingua est obducta, deest appetitus ciborum, siti perdurante; ructus, nausea aegrotam cruciant. Praeterea primis diebus, postquam tumor ex genitalibus processit, de doloribus vehementibus in hypogastrio, in renium et ossis sacri regione conquesta erat quasi tractu ortis similibus.

Commodiore lectulo mulieri strato ad genitalium tentationem progressus primum pedes inveni oedematosos usque ad tertiam femorum partem inferiorem. Tumor, cujus maxima diametrus circiter septem pollicum erat, e vagina descenderat tres ad quatuor pollices, quem piro forma similem, basi deorsum versa, plane sensu carere tactus ostendebant, semper sanguinis profluvium nunc largius, nunc parcius eientes. Propter tumoris magnitudinem non altius quam tres fere pollices et dimidiatum in vaginam inserere potui digitos perscrutantes; specillum vero tenue immissum sex ad septem circiter pollices inter tumorem et genitalia ascendit et pari ubique altitudine circum tumorem circumduci poterat. Superficies tumoris aspera erat et striata, non alte in tumorem descendentes striis, deinde in ea vasa sanguifera perspicuo apparebant, colorque purpureus in lividum, subfuscum, subnigrum transiens. Locis nonnullis exulcerationes conspiciebantur, quibus membrana mucosa tumorem ambiens ex parte perierat. Simul profusio facta est saniei sanguinis coagulatis mixtae.

Abdomine solo tentato uterum investigare non potui, quodsi vero simul ab intestino recto et abdomine instituebam inquisitionem, tentando uteri fundum manifesto sentiebam.

Ad diagnosise nostri casus, quod attinet, facilis est et rem nobis esse cum polypo uterino alte in utero insidente specillo immissio comprobatur. De prolapsu uteri ne cogitemus, pro quo tumor habitus erat, molestis aegrotae prohibebamur, superficie tumoris non plane aequa tactuque sanguinem profundente, forma quoque in inferiore parte latiore, eo, quod os uteri in inferiore tumoris parte aberat, quod specillum inter tumorem et genitalia immissum alte intrabat, eo denique vel maxime, quod investigatione per anum et inde ab abdomine simul instituta fundus uteri deprehendebatur. Nec magis inversio uteri tumor ille haberi poterat, quum specillum alte immitti posset, sensu quoque careret tumor, porro, quum ortus tumoris illi de inversione uteri opinioni refragaretur, nec tubarum Fallopicarum exitus adessent, inventus denique, quum esset in pelvi fundus uteri.

Atque quum ut omnis ex animo meo de diagnosi dubitatio tolleretur, tum ut de curatione instituenda, quid censerem, cum aliis communicarem, ceteros, qui in urbe Jeletz habitant, medicos ad consultationem invitavi. Quorum quum nullus domi suae reperiretur, haemostaticis et roborantibus haemorrhagiam sistere et vires aegrotae reficere studebam. Quod quum per tres horas continuatum minus prospere cederet augereturque infirmitas et pulsus vel magis imbecillus esset et irre-

gularis, lipothymiae intrarent, nullum non cunctando imminere periculum ratus, ad excisionem tumoris ex-templo me convertere decrevi. Iterum frustra accitis collegis unius ministri opera adjutus ad operationem me accinxi, ejus rite faciendae ne instrumenta quidem necessaria habebam. Prognosin igitur hoc in casu propter obstacula oblata non optimam esse potuisse facile est intellectu.

In lecto transverso posita aegrotā, partem tumoris extantem linteis crassi fili circumvolutis, ministrum quam longissime protrahere tumorem jussi. Ipse tum duobus digitis inter tumorem et genitalia quam altissime ad pediculum insertis, forcice superficie incurvata in digitis insertis inducta, polypi pediculum dissecabam quam proxime loco insertionis poteram, quod dum facio crepitum quendam perspicui audiui. Ad locum insertionis ipsum summo labore forcicem adducere non poteram. Inversio uteri imperfecta, tumore fortiter protrahendo effecta, nullis remediis adhibitis statim post operationem cessit, de doloribus quoque in protrahendo tantum timore aegrotā conquesta erat. Excisione facta profluvia sanguinis durabant quidem, sed multo parciora erant quam ante et glomerula rotunda frigida humefacta vaginae inserta aliisque remediis adhibitis cessarunt. Curatio insequens nihil memorabile habebat. Unum adjiciendum est, quinto post operationem die, quum aegrotā et roborantibus usurpatis et injectionibus in vaginam factis satis recreata esset, fonticulos me in femoribus interioribus aperuisse, praecauturus, ne secretionē polypi subito cessante, damni aliquid subsequeretur. Jam

octo post dies lectulo surgere potuit aegrotā et quatuordecim post dies gratias convenit me actura.

Tumor extirpatus ipse omnia insignia polyporum fibrosorum propria ostendebat, superficiem asperiores et striatam, uteri membrana mucosa obductam. Quae membrana crassissima erat et locis nonnullis exulceratione prorsus corrosa. Polypus undecim pollices dimidiumque longus erat; basis, qua amplissimus erat, diameter septem pollicum erat et dimidii, pediculi, qua dissectus erat diameter, trium pollicum erat et dimidii. Simul in pediculo secto structura fibrosa apparebat exitusque aperti trium vasorum, caulem pennae fere crassitudine aequantes. Totus tumor massa erat firma et solida octoque librarum pondo erat et dimidia; asservatur in nosocomio publico Jeletziano.

Postquam aegrotā ita convaluit, ut in publicum prodire posset, saepius me convenit consilia petitura, quum fluor albus largissimus perduraret nec cederet remediis adhibitis. Subito e conspectu meo amisi aegrotā, neque ubi esset, diligentissime inquirendo comperire potui. Februario mense anni 1852 denuo me convenit aegrotā, de eodem malo conquerens. Jam octo fere hebdomadibus post priorem operationem fonticulos, qui ab opere faciendo se prohiberent, clauserat et paullo post nescio quo profecta erat. Ex anno fere denuo gravitatis et quasi tractus in hypogastrio sensum perceperat doloribusque frequentibus in regione ossis sacri, sanguinis profluviis exhaustibus, fluore quoque albo, qui post operationem nunquam prorsus cessaverat, vexata fuerat et ante duos circiter menses tumor priori similis cum

doloribus ad partum similibus et cum sanguinis effluviis in vaginam descenderat. Quae exploratione denuo facta reperiēbam, polypum uteri adesse significabant, qui et ipse locum insertionis in fundo uteri habere videbatur, quum pari ubique altitudine specillum pediculo circumducere possem, Vel hic alter polypus jam antea juxta priorem adfuit, vel post operationem demum succrevit, quorum illud etsi mihi verisimilius videatur, tamen rem in incerto relinquo.

Quum magna esset aegrotae infirmitas, primum vires ejus imminutas restituere studebam simulque per litteras Dorpatum datas Adelman¹⁾ med. dr., chir. prof. ord. rogavi, ut instrumentum transmitteret ad subligandos polypos uterinos aptum. Qui quum instrumentum ejusmodi a Goertz inventum ad me misisset, aegrotam in nosocomium publicum Jeletzianum, cui medicus praeram, accepta, fonticulis in interioribus femoribus denuo apertis, trigesima mensis Aprilis die ad subligandum polypum accessi. Tentatio denuo facta polypum adesse me edocuit firmum satisque durum eo progressum, ut duo fere pollices et dimidium a vaginae introitu abesset, superficie glabra, forma piro consimili, basi deorsum versa, cujus maxima diametrus quatuor pollicum fere et dimidii esse videretur sursumque contractus in pediculum exiret. Qui pediculus, quantum

1) Derselbe war so freundlich, mir nicht nur jetzt, sondern auch schon früher vorher und später noch die grössten Beweise seines Wohlwollens zu Theil werden zu lassen, weshalb ich es nicht unterlassen kann, demselben hier meinen innigsten Dank zu sagen.

digitis tentantibus conjicere poteram, satis firmus erat et durus. Specillum inter tumorem et genitalia immisum ad sex fere pollices ascendit parique ubique altitudine circum polypum circumduci poterat. Sanguinis profluvia non deerant quidem, sed parciora erant, quam quae aegrotae periculum intenderent.

Quae quum ita essent, quod subligare polypum constitui, neque iterum de excisione facienda cogitavi, eo adductus sum, quodquum subverebar, ne polypum satis protrahere neve ad insertionis locum pervenire possem, tum vel imprimis quod sanguinis profusiones, quas vel inter excisionem vel post excisionem non defuturas suspicabar, aegrotam in periculum vocare nolebam. Cupiditas quoque me impulit discendi, quid in polypis uterinis ligatura proficeret, quam in narium polypis permagnis efficacissimam esse et commodissimam ipse expertus essem. Ligatura igitur satis firma quam proxime locum insertionis potui pediculo circumdata, clauso instrumento ligaturam cochlea inter tuborum instrumenti exitus interposita circumacta astringere conabar. Sed frustra, nam ligatura marginibus exituum tuborum velut cultro dissecabatur. Idem in altero conatu accidit, licet margines tuborum acutos ante paululum delimasset. Quum tamen et aliis negotiis districtus essem et parcere vellem aegrotae, quae inserto instrumento dolores quidem non perceperat, tamen sanguinis profusione etsi modica confecta erat, proximo demum die iterum applicare ligaturam statui. Id quod, quamquam pro serica cannabina ligatura utebar non melius successit. Secundo tandem Maji mensis die chorda subligationem perficere

mihi contigit, ex quo singulis diebus ligatura arctius a me est astricta. Jam altero die effluviū profusum, flavum, saniosum, odoris foetidi ex genitalibus manare coepit, quod injectionibus liquoris calcariae chloratae minuere conabar. Interim magis indies polypus descendit et octavo Maji mensis die ex genitalibus excesserat; ligatura pediculum ambiens introitum vaginae aequaverat. Cui polypi pediculum, cujus diametrus loco ligaturae duorum fere pollicum et dimidii erat, ad unum pollicem quum corrosisset, fila serica satis firma substitui solutoque instrumento ejus ope alteram ligaturam chorda factam vel propius locum insertionis admovi. Partem vero polypi extantem, quae putrefacta foetore summas aegrotae molestias exhiberet, infra ligaturam sericam resecai. Usu injectionum liq. calcar. chlor. continuato singulisque diebus ligatura arctius astricta polypi pediculus duodevicesimo mensis Maji die prorsus dissectus erat; alteram polypi partem, quae vaginae inerat, forcipe facile removebam. Totus polypus trium librarum dimidiaequae pondo erat structuramque fibrosam manifesto prae se gerebat. Aegrotā quum inter curationem bona gauderet valetudine, praeter diaetam corroborantem remedia non adhibui et quinto et vigesimo mensis Maji die, postquam, ut cautionem necessariam ne omitteret neve fonticulos clauderet, edixi, ex nosocomio dimittere eam potui. Fluor albus, quem ex morbo retinuerat, intra sex hebdomades remediis usurpatis cessit. Nunc quoque, de quo nuntiis ante tres menses ad me allatis certior factus sum, valetudine perfruitur optima.

Quae quum hactenus disputata sint, hac data opportunitate de instrumentis ad subligationem usurpatis paucula adjicere licitum mihi sit. Quorum tam numerosum est genus easque species complectens, ut delictum facere difficile sit. Et ego quoque hanc unam legem sequendam censeo, quae praecipit, optimum instrumentum habendum esse, quo optime opereris. Neque tamen possum non mentionem facere instrumenti a P. U. Walter, med. et chir. dr., prof. ord. artis obstetriciae, magistro meo venerando et dilecto inventi, quod nulla ceterorum instrumentorum virtute destitutum, eorum vitiis caret. Neque enim unquam eo ligatura dissesabitur et quantulumcuque ligaturam astrinxeris subtiliter eo indicatur. Cujus instrumenti accurata descriptio et imago inest in dissertatione inaugurali Friderici Veh, quae inscripta est comparatio ligaturae et resectionis polyporum uteri. Dorpati Livon. 1837, p. 80, 81, 82.

THESES.

1. Cicatrices in ore uteri, quae esse videntur, non fissurarum effectus sunt transitu capitis infantis ortarum, sed merae rugae, quae inter partum subsequentum ore uteri rursus dilatato complanantur.
2. Rugae quae dicuntur gravidarum, in abdomine semper argumento sunt graviditatis pristinae.
3. Obstetrices certis intervallis repetitam artis tentationem subire necesse est.
4. Regeneratio polyporum extirpatorum non extat.
5. Decoctum Zittmanni medicamentum supervacaneum est.
6. Fractura cranii per se non est periculosa.